

Q.K. 366, II.

427

ANDREÆ ADAMI HOCHSTETTERI

# ORATIO

II 0  
495

X 1904081

DE

# UTILITATE PEREGRINATIONIS ANGLICANÆ,

AD D. XI. SEXTIL.

MDCXCVII.

recitata

TUBINGÆ,

Quum

Eloquentiæ & Poeseos Professionem  
Incllyta in Eberhardinâ auspicaretur.



Apud JO. GEORGIUM COTTAM, Bibliopol. Tubing.

Typis Jo. CONRADI REEL

97

126 9



AMDRLE ADAM HOCHSTETTEL

ORATIO

DE

UTILITATE

PEREGRINATIONIS

*11. Corinth. V. 9.*

Et ideò contendimus, absentes, sive  
præsentes, placere Domino.



Elodacnic & Polesos Professorem  
Incipit in Exordium auctoritatis



Apud O. GEORGIIUM COTTAM, Bibliop. Tubing.  
Typis Jo. Caspari Balth.



PIETATE  
DOCTRINA MERITISQUE  
VENERABILI VIRO  
D N.

JO. ANDREÆ HOCHSTETTERO  
S. THEOL. D.

ET ABBATI MONASTERI  
IN BEBENHAUSEN,  
PARENTI MEO PIENTISS. CARISS.  
QUI RECTA PROLIS EDUCATIONE NIHIL ANTIQUIUS  
NIHIL UMQUAM PRIUS HABUIT  
SERMONEM HUNC INAUGURALEM  
FILIALIS ERGO REVERENTIÆ  
DICO ET CONSEURO

*SIMILQ.*  
IN LUCTU TENEBRISQ. PRÆSENTIBUS  
VERI IN DOMINO GAUDIUM LUMINA  
A PATRE LUMINUM

ADPRECOR  
OBSEQUENTISS. FILIUS  
ANDREAS ADAM HOCHSTETTERUS.

---

II. Cor. V. 9.

Διὸ καὶ φιλοπνέμεθα, εἴτε ἐκδημῶντες, εἴτε ἐκδημῶντες,  
ἐνάρετοι εἶναι τῷ Κυρίῳ.



PIETATE  
DOCTRINA MEDICISQUE  
REVERENDISSIMO  
D. N.  
JO. ANDREAE HOCHSTETTERO  
S. THEOL. D.  
ET ABBATI MONASTERII  
IN BERENHARUN  
PARENTI MEO MENTIS CARISS.  
QUI RECTA PROLE EDUCATIONE MIHI ANTIQVVS  
Nihil unquam prius habuit  
2. anno aetatis suae  
PRAELIIS ERGO PARENTIS



ANDREAE ADAM HOCHSTETTERUS

In Gott N. J. 1777  
Am 10ten Februario, im Geburtsort  
des Vaters in Kitzsch





*JESU JUVVA!*

Magnifice Domine Rector,  
Dignissime Domine Cancellarie,

Viri summè Reverenda Dignitate, Munerum  
Amplitudine, consulendi Jurisque dicundi  
Dexteritate, medendi experientia, Scien-  
tiarum, artium, linguarumque optimarum  
doctrinis Excellentissimi, Domini, Pro-  
motores, Patroni, partim & Præceptores  
obsequiosè Venerandi,

Vosque Auditores reliqui decentibus undique  
titulis compellandi,

Corona Studiosorum in spem Ecclesiæ Reique  
publicæ lætissimam succrescens atque  
florētissima.

A

Quod



Uod navigantibus in vasto mari evenire consuevit, ut qui plus vice simplici longinqua Oceani spatia emensi sunt, horrore tamen metuque denuò perfundantur, quandò in altum tendentibus ac à terra demum omni remotis

coelum undique & undique Pontus  
occurrunt,

id mihi profectò, Eloquentiæ inter Vos disciplinam, Inaugurali hodie Sermone auspicatoro accidere impræsentiarum, haud diffiteor.

Neque, credo, quisquam Vestrum inficiabitur, qui hanc mihi sortem non omninò peculiarem, sed cum Clarissimis Viris communem familiaremque reputaverit: qui certè rectam dicendi scribendiq; rationem salutaribus præceptis comprehensuri, non uno omnes modo hunc in Oceanum, immensum ferè & sua mole formidandum, sese immiserunt. Quo factum ut laudare in primordio nobilissimam artem  
non-

nonnulli satis habuerint: quoniam quod animis  
 Deus, & Sol mundo, id reliquis Eloquentia fa-  
 cultasve oratoria esset. Quam quidem ego rem  
 extra controversiam esse arbitror, plenumque  
 ferè insolentiæ dixerim, commemorandis il-  
 lius elogiis immorari, quæ per se amplissima  
 sunt, aut demonstrando ejus Splendori dare  
 operam, cujus lumen oculos mentesq; omnium  
 perstringit. Quare ab ipsâ disciplinæ difficulta-  
 te exordium dicendi sumere alii, quæ singularis  
 utique heic est & inusitata. \* Ut enim eam  
 intelligendi vim animis nostris natura inserue-  
 rit, quâ citra Magistri operam cum vera de-  
 prehendere, tum nebulas fallaciarum discutere  
 queamus: aliter tamen cum humano sermone  
 comparatum est, qui ne vernaculo quidem ex-  
 cepto, si non doctore præeunte, auditu tamen  
 debet addisci; Quorsum & miræ linguarum  
 variationes vicesque accedunt, quibus fieri so-  
 let, ut quod antè seculum sermonis habebatur

A 2 ele-

\* Conferri nimirum huc poterunt Nic. Caussin's præclaro Opere de  
 Eloq. S. & Profanâ, Jac. Thomas Proleg. ad Rhetor. Jo. Schæffer  
 de stylo illiusq; Exercitiis, Jo. Henr. Bœclerus de comparanda Lat.  
 Linguae facultate: Jo. Caselius de Magistro dicendi, quem Conr.  
 Hornejus edidit: Jo. Andreas Bosius de comparanda Eloqu. Ci-  
 vili: rursus Bœcler. de Eloquentiâ Viri civilis, quem omnino se-  
 quutus est Bosius, Discipulus Magistro hoc dignissimus.



elegantia, hodiè barbaries adpelletur. Ubi frustra universalium regularum præcepta quæsi-  
 ris, quandò infinitæ propè vocabulorum obser-  
 vationes exiguntur: & imitari in super illos, qui  
 præclarè ante nos dixerunt, & omnes dicendi  
 formas atque characteres, quos Græci vocant,  
 callere ex amissim jubemur. Quod ut fieri  
 possit, subactum limatumque iudicium, & fa-  
 miliaris quædam cum priscis, ac præjudicatæ  
 auctoritatis Scriptoribus consuetudo postula-  
 tur. Demum de auctoribus quoq; in hoc litera-  
 rum genere optimis consilia quosdam agitasse  
 video: quod utique, Tullii verbo, in omnibus  
 causis & debet & solet valere plurimùm: ut eos  
 denique omittam, qui de corporis eloquentiâ,  
 quam idem dixit, solliciti haud abs re sunt, &  
 vocis numerorumque examinare discrimina,  
 gestum componere, & oris atque corporis in-  
 pronunciando habitum efformare conantur.  
 Quod ipsum prisce facundiæ artificium fuit,  
 ac pene neglectum hodie, nisi quod Nobilis a-  
 pud Belgas Orator Petrus Francius in eo veluti  
 ex orco revocando **Arenæ** hætenus, nec sine  
 successu, laboravit. Quæ

Cicet. Tu-  
 scular. I.  
 Quæst. I.  
 101. Edit.  
 Camerar.





Quæ omnia quidem, quum primum reco-  
 gitarem apud animum meum, sub Academicæ,  
 quam apud vos, Domino juvante, adgredior,  
 Professionis auspicia, solemnè oratione expli-  
 canda prorsus videbantur: quum & doctrinæ  
 isti conveniant apprime, & luculentis anteces-  
 sorum exemplis corroborentur. Sed qui non  
 docendi causa accessi ad Vos modo, Auditores,  
 absque omni, spero, injuria publicis discen-  
 tium acroasibus ea destinavi: rectiusque & a-  
 ptius dicendi argumentum fore arbitratus sum,  
 si peregrinationis Anglicanæ, ante hoc ipsa  
 septennium, & quod excurrit, susceptæ, citrà  
 omnem, quæ absit, jactantiam, repeterem ra-  
 tiones, atque ad Clarissimi Oratoris de Italiâ  
 suâ hunc fere in modum dicentis, exemplum,  
*De utilitate quam ex Britannico Itinere capere  
 possit, Literarum, Sanctiorum verò præcipuè,  
 Studiosus, differerem.* Quod ipsum, cum ex iis  
 dotibus quibus Natura ipsa Angliam ornavit,  
 & (2.) Ecclesiæ ibi florentis statu, tum (3.) è  
 subsidiorum Literariorum & Bibliothecarum  
 Virorumque Eruditorum copia luculenter, spe-

Jo. Fabricii  
 cujus eo de  
 argumen-  
 to extat O-  
 ratio Alt-  
 dorfii Na-  
 ricorum  
 habita.

A 3

ro,



ro, adparebit. Cæterum, venio ad vos hodie  
 Novus Orator, viriumq; imbecillarum omni-  
 um rectissimè conscius. Neque etiam ob do-  
 mesticam cladem, ex *amantissima Matris* obitu  
 dolorem abjeci penitus: adhuc obversantur ul-  
 timi morientis amplexus. Quamquam, quæ  
 Gentili interiisse putaretur, mihi in soporem  
 data creditur, cum quâ & nos  
 ævum agemus alterum.

Valde interim vereor, ne tanto difficilius langui-  
 diusque ad vos dicam, quam par erat. Itaq; Ve-  
 stræ, Auditores Honoratissimi, gratiæ erit &  
 humanitatis, ut verba ad vos facturo libentem  
 ac benivolam auribus operam benignè comi-  
 terque commodetis.

Equidem si vel iis ordine percensendis immo-  
 rari hac vice volupe esset, quæ Natura benignior  
 Britannia indulset, & suadere Anglici Itineris uti-  
 litatem possunt, præscriptos sermoni terminos  
 mox transgrederer. Quare & Græci, eam Insulã  
 reliquis omnibus anteposuerunt eleganti versu:

Dionys. Af.  
 in Descr.  
 Orb. add.  
 Lanf. pro  
 Britann. &  
 Guil. Cam-  
 den. in Brit.

Ἔδὲ πρὸς ἅπαν  
 Νῆπιος ἐν πᾶσι Βρετανίαν ἰσοφαιεῖται  
 totius Orbis  
 Est omnes inter par insula nulla Britannis,

Me.

Meritoq; hic ad Camdenum, illum Anglorum Strabonem, & Thomam Lansium, Illustrem Virum provocamus, qui Duumviri hoc argumentum pridem occuparunt. Nimirum, qui dotes suas quaqua versum mitissime sparsit Rerum omnium Conditor DEUS O. M. non unum orbis finum, non unam provinciam ex asse singulorum hæredem bonorum scripsit; sed sparsit bona, distribuit thesauros,

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ  
India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Sic & Britannia habet, & magno quidem numero, quæ alibi frustra quæramus. Est ibi ita temperatum cœlū, ut sub eo vel hyemis inclementiam, vel æstatis ardorem parum sentias: terra frugum ita ferax, ut Occidentalis olim Imperii cella quasi penuaria horreumque fuerit habita, è quo ad exercitum Germanici limitis custodem frumenta exportabantur. Cujus quidem rei testis luculentus est amœnissimus Scriptor Ammianus Marcellinus: \* & spectant eò quoq;  
ve-

\* Ammianus Marcellin. XVIII, 2. Edit. Gronov. de Juliano: horrea quin etiam extrueret - ubi condi posset annona, à Britannis sue-

vetusti armamentarii fundamenta, quæ in illo  
 Hollandiæ litore, qua Rhenus se olim exone-  
 ravit, fluctibus hodie teguntur: post Aphricita-  
 men vehementis continuatam furiam nudatis  
 aliquandò reliquiis comparent: servato hodie-  
 num Brittenburgi nomine; à Britannis nempe,  
 quorum fama tam latè olim penetravit, ut ab  
 iis \*\* Brettam Patriam quoque suam denomi-  
 natam esse crediderit Philippus Melanchton,  
 Academiae quondam nostræ decus. Ut lapidem  
 raceam, qui iisdem in ruinis repertus, & Hagam-  
 Comitatensem ad Wassenariorum Ædes de-  
 latus fuit: in quo CONLAPSUM \*\*\* (ita habent

ver-

ea transferri. Zosimus L. III. de eodem: Οκτακώσια κατεσκεύασε  
 πλοῖα ὁ Ἰβλιάνος μείζονα λέμβων: ταῦτά τε εἰς τὴν Βρεττανίαν ἐκ-  
 πέμψας κομίζεσθαι σίτον ἐποίησεν. Conf. & Eunapius in Legationibus,  
 & Julianus ipse in Epist. ad Athenienses, inter opera quæ splendi-  
 de nuper edidit Lipsiæ Ezechiel Spanhemius, Vir Illustris & do-  
 ctrinarum gloria dudum eminens.

\*\* Conf. Camdenum in Insulis Britannicis. Cæterum ea ætas castra  
 opportuna & annonæ copiâ referta Burgos, uti ex Burgundio-  
 num Historiâ constat, adpellavit. Nomine novo, quod post trans-  
 latum in Orientem Imperium à Græcorum Pyrgo Germani sum-  
 misse videntur. Adde du Fresne Glossar. & P. Scriver. Batav. Illu-  
 stratam. f. 179. Solet etiam huys te Britten nuncupari.

\*\*\* Consulendus heic fuerit Hadrian. Junius, Batav. c. x. qui Arma-  
 mentarium forma quadratum, paribus in omnes partes spatii  
 productum, nudatis fundamentis, ter suâ ætate, anno np. MDXX.  
 deinde MD LII. tertio MD LXII. comparuisse memoravit. In-  
 scriptio Lapidis sic habet: IMP. CÆS. L. SEPTIMIUS SEVERUS  
 AUG. ET M. AURELIUS ANTONINUS CÆS. COH. XV.  
 VOL. ARMAMENTARIUM VETUSTATE CONLABSUM



verba) vetustate armamentarium ab Severo restitutum fuisse docemur. Et quis non Oceani miretur fertilitatem? Laudavit jam sua ætate stanni copiam Diodorus Siculus, & largiter exportari scripsit: ignarus tamen juxta cum Cicerone argenti, quod Angliam proferre discretissimus Tullius negavit: è Germanis autem, memorante etiam Illustri Lansio, Daniel Hochstetterus \* falsum esse docuit, qui opulentas ibi æris venas, neq; illas sine auro atque argento detexit, magnum eapropter nomen sub Elizabethæ imperio adeptus. \*\*

Non urbem delineabo Londinensem, quæ octingenta hominum millia alit haud diffitentibus Gallis: \*\*\* non turrim, regia ostentantem

B dia-

RESTITUERUNT SUB VA. PUDENTE LEG. AUG. PR.  
PR. CURANTE CÆCIL. BATONE PRÆ: Verba COH.  
XV. VOL. cohortis XV. Voluntariorum interpretamur.

\* Scripserat Cicero, argenti neque scrupulum ullum esse in Insulâ Britannia, Ep. IV. 84. ad Atticum, quod falsum esse demonstravit Noster. Conf. Lans. pro Britann. 529. & de stanno Diod. Siculus Biblioth. V. 9, 142. ut taceam, quæ in Danielis nostri laudes dixit Tho. Crostwaerius, Theologus Oxoniensis.

\*\* De canibus dicant alii, quos maxima Taurorum fracturos colla Britanno eleganter versu cecinit Claudianus: quorumque opera Celtas in bello usos fuisse Strabo memoravit. Vide Epitom. Γεωγεφικῶν. Edit. Bas. p. 89.

\*\*\* Laudari testis poterat Sorbierius, quem Britannicæ obrectatorem egregiè refutavit Tho. Spræus, Episcopus hodie Roffensis, Anglicani sermonis nitore, puritate & elegantia inter suos omnium hodie celeberrimus.

diademata, \* non obeliscum sine pari, aut  
 \*\* columnam, urbis, Anno hujus Seculi LXVI.  
 penè extinctæ, monumentum & ex igne resur-  
 gentis decus: non occidentalis Monasterii  
 Templum, aut antiquissimum in eo solium cui  
 Reges corona cingendi insident: vel lapidem,  
 quem sanctissimo capiti supposuisse Jacobū cre-  
 dunt, quum coeli scalam intueretur: nō \*\*\* *Vin-*  
*desoram*, cum aureæ periscelidis sacrario: non  
*Hamptoncurtum*, moderno Monarchæ invi-  
 ctissimo charam: non \*\*\*\* rivulū Oxoniensem,  
 haud equidem in lapides convertentem ligna,  
 quod credulis diu visum, sed crusta tamen lapi-  
 deâ obducentem: non saxea, eaque vetustissi-  
 ma monumenta, quæ inter cum primis nobile  
 est illud, quod Stone heng audit, tantæ molis ut

Illu-

- \* Et quod taceri non debet, arma Inviçtæ, quam vocabant, Classi Hispanæ adempta Anno Seculi superioris LXXXVIII. & catenas ferreas, quarum pondere constrictos Britannos in Peruviam ad metalli opera deportare in animum induxerat Philippus.
- \*\* Opus insigne CLXXV. pedes à terræ superficie altum, & quod juxta cum Inscriptionibus delineavit Bentheimius eleganti opere de Statu Britannia Scholastico & Ecclesiastico. Quem consulendum omnino arbitramur. f. 28. 29. 30. seq. Nam & Regium ex-cambium & complura alia ex vero, atque ipse etiam αὐτὸπῆτις depinxit. p. 37.
- \*\*\* & Scholâ Ætoniensi, Doctissimorumque Canonorum Collegio, inter quos tum eminebat Guiliel. Cave, Vir humanissimus, Isaaci Vossii successor.
- \*\*\*\* Ola. Borrich, ad Bartholin, inter hujus Epistolas Cent. IV. 519.

Illustris Conringius Gigantum opus esse asserat:  
 \* non collem hydraulicum Inſtonenſem: \*\*  
 non Echo hendecasyllabicam *Wuſtokienſem*,  
 non ſexcenta alia quibus ſatiare animum Maxi-  
 mos Viros advertimus, & quæ quidem omnia  
 literis navantem & delectare haud parum & ex-  
 citare in ſapientiffimi Creatoris laudes poſſunt.  
 Quorſum omnino & illuſtre Eliæ *Aſhmolli Mu-  
 ſæum* faciat, & *Greſhamenſe Collegium*, \*\*\* in  
 quo convenire per hebdomadem ſingulam Re-  
 giæ Societatis Conſortes ſolent, quam longo  
 tempore illuſtravit *Rob. Boyleus*, Vir in ſcrutan-  
 diſ naturæ arcanis perquam felix & induſtrius,  
 à Viro ſummo *Franciſco Bacon*e de *Verulamio*  
 juxta cum aliis excitatus: & quod primo debe-  
 bam loco pronunciare, fidei Chriſtianæ ita de-

De anti-  
 quiſſ. Statu  
 Helmſtadii  
 pag. 44. 45.  
 Vide tamē  
 Schurtzh.  
 Alloc. p.  
 121.

B 2 ditus,

\* Paret locus, cui Inſtoni nomen, Lichfieldiæ Comiti. Fuerunt certē  
 doctiffimi Viri, qui hoc Naturæ artificium pretioſiffimis Bru-  
 xellenſium machinis hydraulicis prætulērunt.  
 \*\* Eſt Wuſtokii vetuſta arx, quam Henricus II. A. R. cum Roſamun-  
 da ſæpè incoluit. Miratur Plutarchus vocem ſepties red-  
 tam in porticu Olympiæ: Nos certē ſyllabam unam heic decies  
 repetitam clarè percepimus, quam decies ſepties reddi potuiſſe  
 aſſeverarunt homines fide digni, ni tempeſtas vehementior ob-  
 ſtitiffet.  
 \*\*\* Quo de pulcherrimus liber extat *Nehemiæ Grew*, ubi rariora ex  
 Regno animali, vegetabili & minerali fuſè recenſet, non negle-  
 ctis artificialibus. A Catalogue & deſcription of ye Natural and  
 Artificial Rarities belonging to the Royall Society London  
 1687.



Ph. Cluver.  
Geogr. VI.  
p. 208. Ri-  
chard. Blo-  
me L'A-  
merique  
Angloise.

ditus, ut non modò ad convertendos in Occi-  
dentali India Virginiae incolas diligentiae sum-  
tuumque contulerit haud parùm, sed & ultimæ  
voluntatis suæ tabulis ordinaverit, ut docto cui-  
dam ac pio viro salarium annuatim solveretur,  
qui octo ad populum sacras orationes quovis  
anno recitaret, in quibus non nisi adversus infi-  
deles, Atheos puta, Deistas, Paganos, Musul-  
mannos Judæosque Christianam Religionem  
defenderet, & objecta diluere solide allabora-  
ret. \* Quo vel uno documento constet, nihil  
detrimenti apud illos pati rectum DEI cultum,  
qui indagandis naturæ recessibus se dedunt,  
quin potius ad quærendum palpandumque  
DEUM eos manu quasi duci trahique. Ut quæ  
Medicinæ ac Philosophiæ Naturalis Antistites,  
Sydenhamus, Mortonus, ambo post Willisiũ,  
Rob. item Plottus, in Botanicis Jo. Ræius, alii-  
que enixi hæctenus sunt, omittamus. Taceo de-  
mum Mechanicos, microscopiorum, telescopio-

\* Latine nuper admodum transtulit Dan. Ernestus Jablonsky, Con-  
cionator Electoris Brandenburgici Aulicus, ubi verba Testamenti  
Boyleani, ac primum industriæ & pietatis Specimen à Rich.  
Bentlejo publicè emissum videas. Et testatus certe suum pro di-  
vina veritate zelum satis superque jam olim fuit Boyleus elegantia  
libro quem de STYLO Scripturæ composuit.





piorū, horologiorū, Auctores incomparabiles.

Quapropter ad Ecclesiā nos convertamus, (II.)  
cujus certè facies allicere ad Britannos iter faci-

entem omninò queat. De Druidibus memo-  
rabile apud Cæsarem \* est, quod illorū disciplina  
in Britannia reperta atq; inde demūm ad Gallos

translata fuerit. Quin & Augusti hujus scripto-  
ris tempore, qui diligentius eam rem cogno-  
scere voluerunt, plerumque illò discendi causa  
profecti sunt. \*\* Equidem non apud Britannos  
introducenda primū est fides Christiana, neque  
inde eam repetendam existimaverim: cæterū  
uti, eodem teste Cæsare, semper fuere deditissi-  
mi religionibus, ita vetustorum merito Chri-  
stianæ religionis alumnorum nomine insigni-  
untur, quam ab ipso Tharsensi Apostolo plan-

de B. G. VI.  
13, 11. Edit.  
G. Junger-  
man. p. m.  
144.

B 3 ta-

\* Bell. Gall. VI, 13, 11, 12. Et nunc qui diligentius eam rem cognoscere  
volunt, plerumq; illò (in Britanniam) discendi causa proficiscun-  
tur. Itā Cæsar. Nomen certè Druidum origine Britannicum  
esse, atque à Tree quod Arborem & Wys quod sapientem notat  
derivandum, libentius crediderim: quū sub quercibus aliisque  
arboribus eos philosophatos esse constet. Quasi Sylvestres Philo-  
sophos dicas Neque hæc opinio displicuit B. Pufendorfio Dissert.  
de Druidibus, quam Anno Seculi L. Lipsiæ vulgavit. Adde Am-  
mian. Marcell XV. 9. & quæ doctissimè eo commentatus est Fre-  
dericus Lindebrogius.

\*\* Certe de Britannis, quā literas meliores, memorabile est, quod ad  
Henr. VIII. fateri non dubitavit Phil. Melanchton: Scimus & o-  
lim cum propter arma Gothica penè extinctæ essent in Europâ li-  
teræ, ex Insulâ Tuâ rursus in totum orbem propagatas esse.



tatam ibi fuisse idoneis argumentis probavit  
 Eduard. Stillingfleetus, & Tacitus innuere Virō  
 doctissimo haud obscure videtur, qui Pompo-  
 niam Græcinam A. Plautii Legati Britannici  
 uxorem, eopse anno, quo Paulus primū in  
 vinculis tenebatur, externæ superstitionis postu-  
 latam memoravit. Constantinum certè Impe-  
 ratorem è Christianis primum, laude quavis di-  
 gniozem, neque ullā in re com meritum, qui ita  
 contumeliosè à novitiis hominibus haberetur,  
 lucem ibi primitus vidisse, in confesso est. Et  
 quem quæso, nostris præcipuè sacris addictum,  
 antiquissimæ Ecclesiæ habitum contemplarico-  
 ram, haud afficiat? quam & hodiè inter refor-  
 matas purgatissimam, à que nostris propinquius  
 distantem toto pectore lætamur. Namq; ab ab-  
 solutæ prædestinationis, & reprobationis, quod  
 vocant, decreto tam longè absunt ejus antisti-  
 tes, ut gratiam Patris, ac meritum Filii Catholi-  
 eum iisdem hodiè & verbis & animis nobiscum  
 doceant profiteanturque: Ægidium cum primis  
 Hunnium nostrum sequuti, victique argumen-  
 tis, quæ Is è sanctissimo Israël fonte derivavit.  
 Nec diu est, quod famosissimus Presbyteriano-  
 rum

rū Antesignanus, Dordracenæ Congregationis placita hoc in dogmate retractavit: quoniam multos in Londinensi Ecclesia anxios desperasse ejus persuasione advertisset. Et quis ignorat nostrum, quibus animis, quamque viriliter, imperante Jacobo II. Synagogæ Romanæ emissariis opposuerint sese Viri præstantissimi, causamq; quam heic communem nobiscum habent, defenderint? Ex quo fonte & Parlamenti decretū, octogesimo nono hujus seculi anno, promanasse arbitror, quo nullum Principem Romano-Catholicum, nullamve Principem, Romanensium sacris addicto nuptam unquam aliquid Juris ad Magnæ Britannæ Regnum in posterum habituros sancitum est. Contra, quam amplam Domino Ecclesiam, extra Europæ ambitum, non ferro, sed verbo plantarint, ex occidentalis Indiæ commerciis vel hoc uno exemplo constat. Nempe quum Anglicani Mercatores in Virginia adpulissent, à Dæmonibus quidem sub id ipsum tempus dirissimè habebantur Incolæ, eorum infelicissimi Cultores: quæ tamen tyrannis, invocato Christi nomine apud baptizatos mox desit, planeq; cessavit: quo viso multa miserorum hominum

minum



minum millia Christo nomen dederunt. \* Equidem, ut diffitendum non sit, ingentem in Angliâ Sectarum multitudinem, & quæ olim tot seculis generosa errorum expultrix, eam hoc præprimis seculo, per intestina bella receptricem tenebrionum penè omnium esse: alereque adeo in sinu suo Quakeros, & fanaticorum omne genus: quorum sub grege Jesuitas magno numero latitare dubium amplius non est; qui tremere in speciem, ac trepidare, ob Romanæ Babylonis commoda, cum Trementibus exactè & melius haud rarò quàm ipsi Quakeri didicerunt, ut eò securiùs inter Anglos degant: Levellerios item & Latitudinarios, \*\* Independentes, Prophetas, alios maledictionis, benedictionis alios, & quos non? adsentiri tamè Georgio Hornio, sub Honorii Reggii pseudonymo latenti haud possum, quasi solâ in Britannia ejusmodi opinionum portenta excludantur foveanturque. Esto etiam, quod non nego, crescere inter Anglos Arminianorum Socinistarum-

Adde de Quakeris recentis. Scriptore Belgam Gerardum Cræsum, ubi fuse de Georg. Fo. 10, p. 17. sq.

Recler. Peregrinat. German. p. 38

\* Debeo id Henrico Dodwello, Præstantis. Viro.  
 \*\* Conf. Fred. Spanhem. Elenchus Controvers. Religionis: & quæ Hermannus Witsius non ita pridem in Animadversionibus Irenicis de infausto Antinomorum & Neonomorum in Anglia nomine scripsit.

rumque numerum: Novimus tamen Arthuri  
 Buri Theologi Oxoniensis librum Socinianum,  
 \* publicè combustum: neque ullibi hodie plu-  
 ra adversùs id virus antidota prodire facile,  
 quam in Britannia, publici Eruditorum In-  
 dices & Acta quotidie prodeuntia testantur.  
 \*\* Adde quod nihil videam, quod à monstris  
 istis sibi metuat peregre eò discedens, si probè  
 munitus abeat, inque salutari doctrina enutri-  
 tus fideliter sit: quin potius, credo, in agnita  
 cœlesti veritate confirmabitur: eritque adeò  
 proficuum omninò, cognoscere è tot sectarum  
 divortiis penitiores Sathanæ recessus, sibi que  
 ac aliis tanto majore studio ac sollicitudine ca-  
 vere. Quamquàm & ista altioris sunt ordinis  
 & alio tempore locoque curatiùs expendenda.  
 Quare protollamus demū pedem ad literaria (III.)  
 subsidia: ubi plura ad literas meliores adjumenta  
 alibi vix deprehendas, quã quib⁹ gloriantur Bri-

C tanni,

\* Socinianum) Cui titulum fecerat, The Naked Gospel, Nudum Evan-  
 gelium. Qui quidem libellus anno seculi hujus XC. & aliquot se-  
 quentibus turbas concitavit haud leves.

\*\* Meretur memorari Jonathanis Eduardi, Theologi Oxoniensis Preser-  
 vative against Socinianism. Oxon. 93. 4. & quæ ipse Jurius de E-  
 piscopo Londinensi promittit dans l'Apologie adressé aux Pa-  
 steurs des Eglises Wallones des Pays-bas: additis novissimis Francisci  
 Gregorii & H. de Luzancy scriptionibus.

tanni, sive incomparabilem librorum supelle-  
 ctilem, sive eruditissimorum Virorum copiam  
 intueamur. Est in D. Jacobi fano, Londini, Bi-  
 bliotheca Regia, quam Annis abhinc septem  
 Henricus Justellus curavit; hodie Richardus  
 Bentlejus disponit ornatque: in qua præter in-  
 signem Manuscr. numerum, Theclæani, quem  
 vocant, Codicis V. Novique Testamenti, qua-  
 drato caractere exarati, antiquitatem mireris  
 & elegantiam: *Est* ibidem inter publicas Sio-  
 næa, quam Petrus Allixius natione Gallus, be-  
 neficis Anglus; *Est* Archiepiscopalis Lambethana, quam Paulus Colomesius aperiebant: *Est*  
 è privatis Cottoniana, \* quam tanto cum ad-  
 plausu suos in usus convertit Jacobus Ufferius.  
*Est* \*\* Oxonii Bodlejana, ad quam & advenæ  
 humaniter & quotidie quidem per integras  
 quin-

\* Cottonianæ Bibliothecæ Manuscriptorum Codicum Indicem dedit  
 Tho. Smith, Presbyter Anglicanus, Anno superiore. Eam hodie  
 possidet Joh. Cottonus, Baronettus, Roberti Cottoni Fundatoris  
 Nepos.

\*\* Vide Morhofium Polyhist. I. 17, 196. & Morconil. Journal  
 des Voyages, edit. Lugdun. 1666. II, 5, L'université est un gran-  
 dislime bâtiment -- La Bibliothèque est de la figure d'une H,  
 dont l'Allée du milieu ou la longueur est de LX pas, & les deux  
 qui sont à chaque bout sont de XXXVIII. pas -- les Livres sont  
 tous enchainez. Quæ omnino sic se habent. MSti Codices Bod-  
 leiani Adparatus numero pene æquare dicuntur impressos, ut  
 meritò jam sua ætate Angliam à MS. copia laudaverit Scaliger.

quinque horas, vel & ampliùs admittuntur: tametsi nonnisi præstito juramento, osculoque Bibliis fixo: fuere enim nescio qui mutilare Codices pro libitu, vel exsecare è præstantissimis libris quidquid commodum videbatur, quasi licito furto, non erubuerunt. Hujus unius Bibliothecæ impressorum voluminum triginta, & quod excurrit, millium, consignationem Tho. Hyde edidit, numeratis simul Seldenianis.

Tametsi enim Joannes Seldenus, Vir summi ingenii, quùm Ipsi in vivis adhuc agenti, manuscripti Codicis, nescio cujus, copia ex Bodlejano adparatu negaretur, ita efferbuerit ira, ut suamet supellectilem eidem inseri post obitum, prohiberet: Curatores tamen ultimæ voluntatis magnam eorū partem Bodlejanæ tradidisse dicuntur, servatis interim privatos in usus melioribus Codicibus MSC. Quorū Is hoc in corpore numerus est, ut nonnisi perpauca Tho. Jamesius, atque ex illo Theoph. Spizelius recensuisse putandus sit: quùm solus Guilielmus Laudus millia & quadringenta volumina immortalis liberalitatis exemplo addiderit, quæ inter Arabi-



ca Persicaque plurima, Codex N. T. ipso The-  
 clæano antiquior, exemplar Actorum chara-  
 ctere sexangulo cum adnexo symbolo Aposto-  
 lorum: Ut facile fuerit, trecentos minimum  
 Auctores numerare, quos hæctenus ineditos so-  
 la Bodlejana custodit: luculento etiam Græco-  
 rum Codicum, à Francisci Barocci, Veneti, hære-  
 dibus per Arundelium, Pembrokia Comitem  
 redemptorū, accessu locupletata. Overo The-  
 saurum incomparabilem & auro contrà cario-  
 rem, qui vel unus abripere in Britannia deside-  
 ria nos queat. Sunt in eadem Oxonia octode-  
 cim Collegia, quorum singula peculiaribus, iisq;  
 insignibus instructa sunt Bibliothecis: ut *Joan-*  
*naum*, in quo non impressorū incredibilis mul-  
 titudo: quæ inter, aliquot Alcorani exemplaria  
 emicant, quibus Masora in Judaicæ illius mo-  
 rem adscripta est: in summo ea propter pretio  
 ac veneratione Maroccani Imperatoris Legatis  
 haud ita pridem habita: itemque Joannis Wi-  
 clefi opera, & versio in primis Bibliorum ejus  
 manu exarata: Cottopottei Persæ Encyclo-  
 pædia seu Systema rerum artiumque omnium.

Col.



Collegium *Baliolense* quod tres haud exiguos  
 de Concilio Basiliensi Tomos ostentat, quorum  
 primus acta nondum plene vulgata, alter verò  
 & tertius Conciones durante Synodo habitas,  
 & gravissimas certè illas, juxta cum Epistolis  
 diversi argumenti complectitur. Ut auctores  
 taceam *Classicos* & Romanos penè omnes, ni-  
 tido eoque antiquissimo caractere: *Merto-*  
*niense*, quod Jo. Duns Scoto supraque laudato  
 Viclefo hospitium præbuit, ac *quindecim* alia:  
 Quæ omnia splendide ac in regiarum ædiū mo-  
 dum extructa meliores literas alunt foventque

Confer. de  
 his Anton.  
 à Wood  
 Histor. &  
 Antiq. U-  
 niv. Oxon.  
 & Tho.  
 Wood No-  
 tit. Angl.  
 p. 194, 195  
 seq.

Et quid Cantabrigiam memorem? in quam  
 congestum uberrimè atque acervatim dixeris,  
 quidquid ad artes excolendas poliendasq; con-  
 ducit. Namque & academicus ibi librorum  
 thesaurus est, peregrinorum haud minùs quàm  
 domesticorum usibus destinatus, eòque facilius  
 augendus, quod unus Jobus Rustotius, homo  
 privatus, quinquaginta libras anglicanas eidem  
 locupletandæ, & annuatim quidem totidem  
 destinatas, fundârit. Exosculetis in eâ cele-  
 brem Bezae Codicem, è Græcia olim exporta-  
 tum, inque Sancti Irenæi claustrò Lugduni



adservatum, donec durante inter Gallos bello civili, superiore Seculo, eundem nancisceretur Beza, qui anno supra octuagesimum septimo eum Scholæ Cantabrigensi donavit. Sed & Collegia hisce suis gaudent ornamentis. Habet illud, quod S. Trinitati dicatum est, scrinia sua, è quibus Origenianum Codicem, quem Holmiensem vocat, suos in usus adhibuit Huetius: ut præcipua Cromwellianæ Historiæ monumenta taceam, quæ ibi magno numero, & avthentica quidem, custodiuntur: quale est ipsum Confœderationis Scoticæ adversus Carolum I. exemplar, cui primus Lauderdalius subscripsit. Est & instructissimus librorum Thesaurus Collegii Corporis Christi, in quo non saltem vetusta Ecclesiæ Reique publicæ Anglicanæ monumenta, & Henrici VIII. Annæ Boleniæ, Elizabethæ, Tho. Cranmeri, ArchiEpiscopi Cantuariensis, qui Andreæ Osiandri, *Abavi Tui, Cancellarie Dignissime*, neptem \* habuit Conjugem: Matth. Parkeri & Petri Martyris Epistolæ

\* Vide Jo. Strype Memorials of Tho. Cranmer p. 11. & Acta Erud. Lipsiensia A. XCIV. f. 317. De Martyrio Optimi Cranmeri quo sub Philippo II. Hispano & Maria Britannica coronatus est, legendus omnino Burnetus, qui & Breve pro ipsius combustione recenset. Collect. Document. Num, XXVII. fol. 176.



stolas cum fructu legas: sed & nos Illustrissimi  
 ac de Ecclesia præclare meriti Viri, Viti Ludo-  
 vici à Sekendorf monitu, schedam Lutheri in-  
 vestigavimus, non sine biga testium erudito-  
 rum, Kidmanno & Lunnio, Anglis: cujus rei hi-  
 storiam haud ingratham vobis, Auditores, fore  
 confido. Scripserat Historiæ Reformationis  
 Anglicanæ auctor clarissimus, Lutherum no-  
 strum in negotio de Reali Corporis & Sanguinis  
 Dominici in S. Epulo præsentia (liceat mo-  
 do histerminis rem effari) aliquid antè obitum  
 remisisse: quod pronunciatum idonea utique  
 demonstratione prorsus indigebat. Itaque ut  
 asserto fidem faceret, ad literas quasdam <sup>ἀνενδó-</sup>  
<sup>τες</sup> Megalandri nostri, quas ad Bucerum scripse-  
 rit, provocavit, in quibus Lutherus fateatur,  
 posse non obstantibus, quæ usque eò urgeban-  
 tur, rationibus, & *nihilominus* mediam & no-  
 vam statui sententiam. At verò <sup>ἀντοψία</sup> nos do-  
 cuit, non scripsisse Lutherum nihilominus, ve-  
 rum *nihilminus*. Vide unius literulæ periculo-  
 sum, ut mitissimè dicam, neglectum. *Nihil-*  
*minus* mihi videtur utile (sunt verba Viri opti-  
 mi)

Burnet. H.  
 R. P. II. E.  
 70.

mi) quàm ut mediam, ut novam sententiam statuamus, quâ & illi (Sacramentarii) concedant corpus Christi in Cœna realiter manducari. Provocat mox ad textum Christi, quem apertissimum vocat, & ad conscientiam, per quam remittere nihil possit; & ad absurda inde consequutura, quæ omisit Scriptor omni alias laude dignissimus. Habetur Lutheri scriptio in

Lit. C. Mi.  
scell. C. C.  
C.

miscellaneous eius Collegii, quorum studiosè numerum observavimus, & quorum fide adhuc stamus, neque unquàm à Luthero quidquam remissum fuisse fidenter adseveramus. \* Cæterùm eodem in loco *Edmundi Bonneri*, Episco-

pi

\* Facient ista ad rectiorem intellectum eorum quæ in laudata Historia habet Episcopus Doctissimus Collect. Documentor. Nu. xxxiv. fol. 98. b. cui titulus: Libellus à Luthero scriptus Bucero, circa Reconciliationem cum Zvinglianis: ubi sic legit: *Cum hætenus dissenserimus, quod illi signum, nos corpus Christi asseruerimus, planè contrarii: Nihilominus mihi videtur utile, ut mediam, ut novam statuamus sententiam, quâ & illi concedant Christum adesse verè, & nos concedamus panem solum manducari.* Nos verò, adhibitis eam in rem Clarissimis Viris Kidmanno & Lunnio, laudati Collegii Sociis, ita in MSC. deprehendimus: *Cum hætenus dissenserimus, quod illi signum, Nos corpus Christi asseruerimus, planè contrarii in Sacramento: Nihil minùs mihi videtur utile, quàm ut mediam & novam sententiam statuamus, qua & illi concedant Christum adesse verè, & nos concedamus panem solum manducari: Sequuntur ista, quæ in Collectione Burnetiana vides omissa: Ve enim conscientiam taceam, considerandum certè est (pergit Burneti exemplar) quantam hic fenestram aperiemus in re omnibus communi cogitandi, & orientur hinc fontes quæstionum & opinionum. Heic nihil vidi deesse, quod tamen arbitratus est Vir doctissimus. Cæterùm habetur hoc fragmentum in*

pi Londinensis edictum suaviter risimus, quo universæ Diœcesi suæ significat, Mariam Reginam ex Philippo II. Hispano gravidam esse: juncto carmine gratulatorio, quo Mariam, Filium Principem, & Catholicum quidem illum, enixuram prædixit: in quo quam falsus fuerit vates, & experientia docuit; & false adscripto versu: *Parturiunt montes* - - - indicavit Matthæus Parkerus.

Percipitis, nisi fallor, Auditores, quàm nihil subsidiorum desit Britannis, si vel exanimes consideremus Bibliothecas. Jam & ἐμψύχως contemplemur, & singillatim adjumenta specia-  
lium disciplinarum intueamur. Floret sanè primo omnium loco inter Anglos antiquitatis & profanæ & sanctioris studium. Habes Oxoniæ, circa Sheldoni Theatrum, ultra centum & quinquaginta marmora antiquissima, non recondita illa, aut scriniò inclusa obserataque, sed

D quæ

Miscellaneis Ejus Collegii Litera C. consignatis p. 273 274. Quamquàm nec ibi extat, Epistolam ad Bucerum fuisse scriptam. Conf. Sekendorf. Comment. de Lutheranismò III. 8, 28, 89. & jam plenius de universo negotio fere judicium: tametsi vel maxime pro Lutheri, cujus omninò scripturam refert, MSC. habeamus: quod à nonnullis, & ipso quoque primum Sekendorfio in dubium fuisse vocatum, nos non latet. Consulant etiam Germani nostri laudatæ Burneti Historiæ Part. II. p. 69, ubi de Luthero in contrarium plane sensum, licet acerbius nonnihil, pronunciat.

quæ & usurpare oculis, & contrectare manibus liberè, & quavis tempestate exercere in iis animum possis. Estque ita vetustis Romanorum, Danorum, Normannorum monumentis repleta Anglia ut, quod mihi præsentis Tho. Galeus dixit, si terram aliquot usque pedes fodias, rarò frustreris desiderio videndi aliquid ex ista antiquitate: Habes & egregium ubique Numismatum adparatum: \*\* Habes plerorumque omnium Patrum Opera manu exarata, è queis de dubiis occurrentibus formare iudicium, & colligere simul queas, quàm nefario ausu Pontificii in ipsos Venerandos Patres tyrannidem suam exercuerint: quorum proinde integritas ex hisce monumentis, qualibus nos magnam partem caremus, restitui vel & servari potest

ac

\*\* Nummaria rei copia insignis: è qua unum saltem alterumve dabo nummum, cum veterem tum recentem. Vanæ spei index Cromwellianus est: OLIVIER. CROMWELL. REIPUB. ANGL. SCOT. HIB. PROTECTOR. In cuius altera parte expressa Oliva, cum verbis: NON DEFICIENT OLIVÆ, quasi perpetuo Anglorum Imperium habitura fuisset progenies Cromwelliana. Alius cum inscript: OLIVAR. D.G. RP. ANG. SCO. HIB. PR. & altera facie: Has nisi periturus mihi adimat nemo. Oxoniæ aliquot Nummos Constantini Magni, Londini cufos videas, cum inscriptione P. LOND. quam Hydanus explicavit PECCUNIA LONDINENSIS cum arâ, cui addita vox: Votis. Mirè delectarunt vetustissimorum Britannorum numismata, quibus Haraldî, Canuti, & Britannicarum quoque Insularum Regum nomina extant impressa.

ac debet. In quâ quidem re utilissimam præstare operam occœpit Thomas Jamesius: qui pulcherrimo de corruptione Patrum Libro, quem anglicano idiomate edidit, trecentorum & viginti trium Scriptorum Ecclesiasticorum, veterum recentiorumque Catalogum texuit, qui fraudes istorum expunctorum corruptorumque experti sint. Qui & ipse memorat, quò palliari tanto melius manifesta iniquitas posset, in Vaticana *non paucos pingendi artifices*, suâ ætate nutritos fuisse, qui Conciliorum acta & antiquorum Patrum opera, Romanensi habitu, exscriberent: idque literis vetustissimos Codices, quantum fieri poterat, imitantibus. Quam ob causam ex Anglicano isto thesauro novam formare Bibliothecam Theologicam intendebat Jacobus Usserus: cujus lineas ac rudimenta sive prima quædam stamina duobus Voluminibus, in folio, Bodlejana hodie custodit, & nos Clarissimi Hydani benevolentia frequenter volutavimus: cui præstanti viro gratiæ agenda vel ideò sunt, quod Guilielmus Caveus idem beneficium se Stillingfleetò debere publicè de-

D 2

præ-

prædicavit. Interim mirari sæpe soleo, qui insignem Usserii conatum vel negligent prorsus, vel provehere alius nemo hæctenus Britannorū conatus sit; quippe cui, veluti fundamento, tot annorum labore jacto, superstruere universam Patrum Theologiam Criticæque haud adeò fuerit difficile. Quamquam de hoc ipso studiorum genere immortaliter hoc ævo meriti sint & adhuc mereantur Guil. Caveus, Edu. Stillingfleetus, Guil. Beveregius, Guil. Saywellus, Tho. Gale, Henricus Whartonus, Humphredus Hody, & quem primo loco memorare debebam, Henricus Dodwellus, Historiæ Prælector publicus: quem officio motum, quod moderno Sacratiss. Monarchæ sacramentum dicere recuset, Academia Oxoniensis meritò dolet. Sed nec de Orientalium Linguarum studio silebimus, Auditores: quarum antesignano, nostro tempore adhuc superstite, Edu. Pocokio gavisa est Illustris Schola Oxoniensis, quo certè placidissimo Sene, nonaginta jam annis proximo, nemo erat amabilior, nemo humanior. Vixerat is toto septennio Aleppi, tribusque annis Constan-



stantinopoli, atque adeò exquisitam linguarum, quas Oriens colit, notitiam, quin & pretiosissimos quosque libros orientales comparaverat.

Quos inter primo ipse loco habuit Abulwalidi sui Arabicū Lexicon, quo voces Hebraicæ, per S. Codicem difficilimæ, arabico sermone explicantur, ipseque mirè se adjutum semper fuisse fatebatur, & publica scripta docent: sequebatur Syra N. T. Versio, à Thoma Heracliensi Episcopo concinnata, eâ quam nos legimus, longè accuratior meliorque, & digna Pocokio habita, quam sua manu, & eleganter quidem, describeret; ut pleraq; Majmonidis opera taceam quæ Msc. custodit: transeam diversa Geographorum Arabum opera, mappis elegantissimis, sicque satis adcuratis instructa: quorū pulcherrimum, ex Asiæ Turcicæ Præfidis Morathi Bibliothecâ redemerat. \* Id verò dolendū non leviter, quod Achmeti Nisaburiensis arabicorum Proverbiorum chiliadas sex, orientalis undiq; sapientiæ plenas, in Latinū ab se conversas

D 3 ser-

\* Pertinent huc quoq; Abulpharagii Opera omnia: Gelaloddini Paraphrasis Alcorani, quam sequutus in Gallica Versione est du Ryer Ed. Bernardo iudice: Hassani Saharurii Notæ in eandem Legem Islamiticam Criticæ & Masoreticæ, & alia quamplurima, quæ heic recensere non est locus.

sermonem, & anno Seculi hujus xxxv. jam absolutas, nescio quo fato præpeditus, nondum vulgavit: ut valdè metuum ne intereant, nisi filius superstes à tinea blattisque easdem liberet, aut Bodlejanæ Bibliothecæ Curatores, qui Orientalia Pocokii MSS. magno ære redeemerunt, prodire easdem jubeant. Jam quid de publica suppellectile dicam, quam tot augmenta, Seldeniana imprimis, ornarunt? quid Cantabrigiensem memorem, quæ Erpenianorum maxima portione & Bibliotheca Hebraica Isaaci Pragensis, quingentorum librarum pretio adquisitâ, gloriatur? Quid de Doctoribus, Pocokio, Bernardo, qui Tabulam composuit, ex quâ de plerorumq; MSC. ætate judicium ferre jam possis: quid de Guisio, Spencero, Allixio, Compiegno de Veil, Christianis: quid de Isaaco Abendanâ, Judæo, dicam? qui Vir supra gentis suæ morem doctus, ac latinè dicendi facultate instructus, ità promptus atque facilis est, ut universum Misnæ Codicem in Romanum Sermonem transtulerit: quod opus insigne, sex in quarta forma voluminibus constans, in Bibliotheca

theca



theca Academica servant Cantabrigienses. Quo de monendus erat nuperus Scriptor, qui apud Oxonienses custodiri narravit. Quis præterea Guilielmi Seamanni Persicæ Turcicæque linguarum notitiam non miretur? cujus Novum Testamentum, in Turcicum idioma conversum, divino sanè beneficio, ubi vis ferè Constantinopoli nunc legitur: ita ut magna Aulicorū Imperatoris moderni pars Chup Messahitarum nomine veniat: quæ vox baculum Christianorum notat, eò quod isti Christum nostrum DEUM & Redemptorem mundi non diffiteantur. \* Nec recitare jam licet quæ hisce in literis in Oriente, totis quatuordecim annis sibi habitato, congeffit Robert. Huntingtonus, sexcentis Voluminibus Arabicis, Hebræis, Samaritanis, comprehensa: Taceo Joannis Coveli, Cantabrigiensium hodiè Professoris celeberrimi museum, nobilissimis modernæ veterisque Græciæ spoliis inclutum: cui Viro, \*\* in Nostrorum morem & exemplum, cum Dositheo, qui Constantinopolitanus hodiè Præsul Christianorum est,

Addendus omninò Tho. Smithus, qui Asiam longo tempore incoluit, & Asiæ Ecclesias docto libello delineavit.

\* Vide Ricaut. in Porta Ottom. referata p. 93. Augustæ Vindel. in Germanicum sermonem conversa, & mirare.  
\*\* Ut cum Jeremia Patriarchâ superiore Seculo Tubingensibus.

est, literarium intercedit commercium, quippe quem Adrianopoli in amicitiae foedus pridem admisit.

De sacrâ demū oratoriâ, quam scriptis omnium confessione præstantissimis juverunt excolueruntque, angustiores sermonis cancelli recensum haud ferunt: neque quisquam est eruditorum, qui quantum illis in praxi debeatur, ignoret. Id unū in nostræ quoq; gentis gloriam facit, quod ita apud illos profecit Germanus, Antonius Horneccius, ut inter præcipuos Londinensium Oratores habeatur, Ipsique Augustissimo Regi datus sit Concionator Aulicus. Exegeticam denique Theologiam Anglicano Idiomate eò provexerunt Viri præclarissimi, ut ejus Linguae notitiam, vel unum Gatakerum, Esaiæ Interpretem mereri, pronunciaverit Eduardus Bernardus. Taceo Moralem, quam eodem Sermone cum Jeremia Taylora excoluit Sanderfonus: mitto polemica Jacobi Ufferii, Eduardi Stillingfleeti, aliorum. \* Mathesin I-  
saacus

\* Vide Martini Kempii Bibliothecam Anglorum, quam continuari ad nostra tempora ab Doctissimo Benthemio opraverim. Quem & de Ecclesiastico Regimine Anglorum consule è nostris: p. 207. è Britannis verò Scriptoribus P. Heylin in the Help to English History, seu subsidiis ad Historiam Anglicanam.

Isaacus Newtonus, Haroccus, Hallejus, Barrovius, Flamstedius, alii, maximis ingenii monumentis illustrarunt.

Quæ quidem omnia, Auditores, uti cum peregrinandi \* utilitatem in communi evincere firmiter queant: tum & felicem arguant Britanniam ac literatam: denique non indignam, quam auspicio Ducali adiverim & ipse, & adire postea possint alii: quod si tamen Bibliothecas ubivis obvias patentisque, si viros præclaros, inque omnidoctrinarum genere excellentes, si sumtus ingentes nec supputandos facile, qui in Alumnos literarum impenduntur, penitemus curatius: mirari equidem mecum satis non possunt Viri doctissimi, quod plures ibi locorum Viri haud dentur incomparabiles.

Econtra si penuriam rerum ad studia apud nos necessariorum, subsidiorum præcipue istiusmodi, qualia breviter recensuimus, paucitatem cum iis comparemus: major multò hunc animū subit admiratio, qui fieri omnino potuerit, ut tot eruditissimis Viris gauderet Germania,

\* Consule omninò B. Bœcler. de Peregrinat. Germanici Cæsaris Dissert. Acad. p. 19. seq. 39.

nia, \* inque hac, quavis ætate incluta Suevia, atque hæc præcipuè *Tubinga nostra charissima*. Nempe DEI immortalis id beneficiis tribuendum est, quo auctore literis melioribus suis apud nos constat adhuc vigor honosque, juxtaque cum illis doctrina purior servata nobis est fartatecta integraque.

Quam uti à teneris instillatam mihi cum typo sanorum verborum, & custodivi ipse in pura conscientia: & Auditores in DEI domo commissos, constanter, ac pro concredito divinæ gratiæ modo, docui: ita posteaquàm DEO Optimo Maximo, ad Academicam cathedram vocare me, Vestrosque, *Senatores Inclyti*, animos, in me, quod agnosco demissè, immerentem, neque etiam, quod nostis Ipsi, affectantem, convertere: ac Vestræ Pietati veluti mancipare hunc hominem, paternè visum fuit: agenda demum sunt gratiæ, & obsequii unà mei ac honestissimi propositi rationes publicè, & tanquam in DEI conspectu exponendæ.

Tu

\* Quo factum, ut nostrorum quoque Scripta in pretio apud illos sint, Brentiana præcipuè & Chemnitiana è veteribus. E recentibus Pufendorfi scripta pleraque vernaculo Idiomate edita Anglicè prostant. Tacemus alios.



Tu verò me, O ÆTERNE DEUS, ab  
 matris uberibus fovisti indulgentissimè ac filii  
 in morem: liberaisti sæpiùs è mortis faucibus:  
 fuisti mecum in viâ: & hunc animum, va-  
 cillantem sæpè hæctenus, ac timidiusculum, &  
 anxium, erexisti haud rarò: Tu me infirmum,  
 imbecillum, & paucorum dierum hominem, di-  
 gnatus es admittere in ministerium Tuum; Ne  
 desere quæso, Mi Pater, famulum Tuum, dum  
 in hoc erit tuguriolo: qui ab infantiâ super Te  
 recubuit: rege mentem, acue iudicium, dirige  
 conatus, atque ità dispone, ut non nobis Domi-  
 ne, non nobis, sed nomini Tuo gloria, & gregi  
 commisso desiderati proporrò fructus obtin-  
 gant: simulque, ubi visum ità Tibi fuerit, me-  
 liorum literarum incremento aliquid, è nostris  
 rigatibus, Tuâ benedictione accedat.

Jam & ad TE devolvor supplex ac plenus  
 venerationis, Pater Patriæ, Serenissime Dux  
 EBERHARDE LUDOVICE, Princeps  
 ac Domine Clementissime: Qui dirigente rem  
 omnem Prudentissimo sub id tempus Tutore,  
 Patruo Tuo, Serenissimo nimirum, & quod

Musis in solatium nostris cedat, literarū amante  
 non minū, quā callentissimo Principe, FRI-  
 DERICO CAROLO, Domino meo etiam-  
 num clementissimo: cui Optimo Principi, quod  
 unum à me nuper postulabat, patientiam in  
 adverſa valetudine, uti privatis, ita ſolem-  
 nibus meritò precibus exoro, DEUMque veneror,  
 qui ſervare Eundem Sereniſſimæ Domui, quin  
 & Patriæ noſtræ velit: Hoc, inquam, ordinante  
 præclarum inſtitutum, ſumtu Tuo extrudere ad  
 exteros, ac ſuſtentare munificentiffimè, & cum  
 ingenti gloriæ Principaliſ laude, demum & re-  
 deuntem ulteriori gratiâ dignari clementiffimè  
 voluiſti. Servet Te DEUS, & quæ cum pro æ-  
 terna, quam expectamus Chriſtiani, tum & tem-  
 porali, qualis in Summum Principem cadere in  
 his terris poteſt, felicitate, facimus vota, de cœ-  
 lo audiat: quo in adſlictiſſimæ Patriæ ſolamen,  
 & in hac Eberhardinæ Academiæ augmenta  
 commodaque quā diutiſſimè ſuperſtes,  
 & Pylios æquare ſenes & vincere poſſis  
 Tueatur Ipſe Tecum unā Univerſam Sereniſſi-  
 mam Domum, quò  
 crescat



crescat occulto velut arbor ævo  
 Splendida WIRTEMBERGICÆ Gentis glo-  
 ria: quam præsens Seculū admiretur, posteri ob-  
 stupefiant. Ita & pax aurea, innumeris potior  
 triumphis, reflorescat propediem Terris Tuis;  
 Vivatque unà, qui arctissimo Tibi Fœdere jun-  
 ctus est **GUILLIELMUS III.** Magnæ Britan-  
 niæ Rex, Europæ Stupor ac Vindex: Adfertor  
 æqui: nulli ipse Regum Cæsariumve, sive factis  
 sive sanguine, secundus. Floreat super tam Au-  
 gusto Capite Corona perennetque, quam Ipse  
**DEUS** Immortalis, memorabili prodigio, vi-  
 ginti & tribus, \* ante Britannici Diadematis  
 impositionem, annis, Coronâ è nubibus sensim  
 demissa, spectante omnium Arausionensium  
 Civium turba præsignificavit.

E 3 Ad

\* & tribus annis) Exegit homagium ab Arausionensibus, **GUILLIELMUS** nomine, Vir Illustris, Dominus de *Zuylichem*, celeberrimi *Hugenii* Parens; & in miraculi ejus memoriam epigramma hoc fecit:

Dum stat, Arausiacæ confirmatura coronæ  
 Antiquam, populi læta corona, fidem:  
 Non dubiè cælo placuit, quod utrique coronæ  
 Tertia de cælo missa coronat opus.

Videatur Nic. Chevalier Histoire de Guillaume III. par Medailles, pag. 11. ubi inter alia, de cælesti coronâ memorat: Comme tout le monde étoit attentif, & avoit les yeux ouverts, voila une couronne, qui se formant dans l'air, petit à petit vint se poser directement sur le throne, que l'on avoit dressé pour le Prince, sous le Peuple le voyant & s'en etonnant.

Ad vos verò, quî non convertar merito, PATRES ACADEMICI & mei quoque? quorû circumspecto non minus quàm faventissimo suffragio, novæ modò provinciæ admoveor. Est quidem grave jam prorsus, plenumque difficultatis munus, in quo steti hucusque, & persistam, dum visum Domino fuerit: Ecclesiasticum nempe, & angelicis tremendum humeris: quod & principe semper habebo loco, nihilque aut precibus orabo ardentius, aut laborando conabor diligentius, vel dicendo quæram impensius, quàm lucrari animas, & ducere eas ad originem suam, DEUM immortalem; Id quod adeò adspernari æquus rerum arbiter haud possit, ut pro beatissimo potius opere habeat, qui miserandum rerum conatumque cæterorum omnium exitum cogitat, quamque nihil in morte perstet reliquum, nisi quod animæ fuit impensum jugiter perpendit:

Quoniam tamen addictæ simul literis Juventuti dare operam imposterum jubeor, pulcherrimæ utique, & legitimæ Vocationi subducere me nullatenus potui debuisse: cùm quod di-

divinum in universo negotio nutum digitum-  
 que meritò agnoverim, & agnoscere Viri Sum-  
 mi, & quos ob pietatem, longumque rerum u-  
 sum filiali prosequor cultu, jusserint: tum quod  
 ab ipsa ferè ineunte ætate stimulos senserim,  
 haud facilè reprimendos, atque impetum ve-  
 luti quendam ad studia literarum: demùm &  
 Antecessores in Ecclesiasticâ *Genevix* habuerim,  
 quos Patriæ Academiæ Senatus Ampliss. in par-  
 tem Scholæ adscivit, vel & interveniente ali-  
 quando temporum difficultate, unà cum Sa-  
 cro munere academicum combinare tantisper  
 jussit: in quibus vel unum *Henricum Schmi-*  
*dium* memorasse suffecerit: eruditione præ-  
 stantem, & Theologicâ deinceps Professione  
 celebrem & ex Ecclesiæ suggestu facundum.  
 Demum & discantium amor suadere nonnihil  
 videbatur, quem in privatis hæctenus Scholis  
 expertus affatim fui.

Quare obsequor Votis mandatisque Vestris,  
 PATRES, de paterno in me adfectu Vestro  
 plane securus lætusque: ac tametsi magna, pro  
 duplicati præsertim muneris ratione, haud pos-  
 sim

fim promittere, ne malum nomen fiam debendi reus: mentem tamen fidelem, *constantem ubique* & boni publici studiosam polliceor: Nautas imitaturus, qui cum ipsi na vi ad scopulum illisâ vix enatarint, nihilosecius aliis solventibus rectè solent consulere, commonstratis periculis. Servet modò Vos DEUS, cum Illustrissima hac Studiorum Universitate, quæ pupilla est patriæ, neque umquam ejus honorem conculcari ullo pacto patiatur: Servet, ô servet DEUS Immortalis hoc Patriæ charissimæ cimelium, nulli thesauro vel Perfico ac pretiosissimo contrà æstimandum. Coruscet, ac splendore perpetim sereno ad posteros se diffundat literarum Tubingensium gloria: Vestrûm, qui Doctores estis ac Proceres, celebritate, dotibusque suis ac privilegiis, legum denique optimarum institutis prorsus incomparabilis. Habeat servetque hic continuò pura Religio suos Antistites: justitia Sacerdotes: mendendi ars Machaonas: Philosophia Sapientes suos: sitque adeò ac maneat ex Sanctissimi  
 Fun-

Fundatoris EBERHARDI \* Voto verboque:  
FONS AQUÆ PERENNIS.

Vobis demum, *Commilitones Optimi*, dicata sunt studia nostra: Ducam Vos, qui Romanæ consecranei eloquentiæ estis, ad Latinam dictionem, puram illam & genuinam: Rhetoricen demonstraturus philosophicam, non adulatricem aut furibundam, sed virilem & qualem Gregorio Nazianzeno familiarem fuisse legimus, vitiorum expurgatricem. Neque vobis, quorum magna pars Theologiæ destinata consecrataque est, parare ad ejus sacra viam omninò intermittam: ut qui libens agnoscam, *quanta bona ac multiplicis eruditionis copiâ instructos esse Theologos oporteat*: Sed & cæ-

F teris

\* Eberhardi) Qui inclytus in toga sagoque Princeps fuit, & primus quidem Ducale Nomen Anno M D XCV, abs Imperatore accepit. Ejus tamen Majores, Wirtembergiæ Comites, longâ ante ipsum annorum serie, Principum titulos obtinuisse, è sepulchralibus nonnullorum monumentis, quæ Stutgardia extant, cuius manifestum est. In quorum utique primo Ulricus Comes, Illustris Princeps adpellatur Anno jam M CCLXV. Quod in Vetusissima Domus, Nutritiæ nostræ gloriam, repetendum fuerat. Cæterum Fundator fuit Academiæ: Princeps ita amans literarum, ut scholasticis in eâ exercitiis, etiam prolixioribus, & in horas plures protractis, interesset. Ità pius ac religiosus ut Meditationes, Augustino adscriptas, à Cunrado Summerhardo in vernaculam transferri curaret, atque Ipse etiam egregium librum de DICTIS Sapientum componeret.

teris, qualemcunque nunc operam promitto, publicè in eos privatimque, quidquid vel letitando hætenus audiendove, vel & experiundo congestum à nobis est, liberaliter atque omni fide dispensaturus.

Atque ita tandem faxit Dominus: & quæ plena in Ipsum fiducia deprecamur, rata cumulate habeat adimpleatque.

D I X I.

*Ad*

LECTOREM CANDIDUM.

**Q**uem prelo submittere inque publicum protrudere, sermonem hunc Inauguralem, nunquam induxeram animum: prodire nunc passus sum, uti vides, Lector: Si fortean literarum studiis accedere nonnihil ex eo posset emolumentum, atq; ut Doctissimorum simul Virorum hortatibus modestè obsecundarem. Demum, quia Typographus ad finem perducto Orationis contextu, inanem postremo in quaternione paginam relinqui conquestus est: aliquid in vacui, quod ajunt, fugam, addendum existimavi, quod intra Exordii terminos referri debuisset, nisi horule, quæ recitationi publicæ erat destinata, brevitatis interclusisset. Tu vale & qualemcunque hanc opellam boni consule.

Pag. 18. lin. 12. lege: beneficiis. & pag. 41. lin. 18. substitue  
M CCCC XCV.

*Ad*



*Ad pag. 4. lin. 12. addi posset:*

**Q**uod unum docere poterat, quàm ope-  
 rosum diffusumque id studium sit, si vel maximè  
 momenta rerum, quæ ornatui simul verborum  
 æquanda sunt, reticeamus. Nec de censoribus intempe-  
 stivis dictum; quorum ea jam Tullii ætate copia fuit, ut  
*Summum Oratorem nihil aliud esse conquestus sit, quam summum*  
*populo videri:* quo fieri persæpè consuevit, ut deterrimus  
 quisque stylus, continuò omnes bonitatis numeros ha-  
 bere præsumatur. Tandem non ætas modo, sed & au-  
 ctorum, quibus cum conversamur, varietas, difficultatem  
 parit haud levem. Neque enim tam plenum & erectum  
 & audax & præcultum eloquentiæ genus in Sene depre-  
 hendas, quàm quod penes Juvenes adverteris. Et quam  
 pauci quæso sunt, quibus, uti exemplo rem illustrem,  
 nuda illa ac recta in *Cæsare* venustas arrideat? quæ abs-  
 que omni cura aliquid adcuratum: absque omni ornatu  
 aliquid speciosum refert: quod dicendi genus exquisitæ  
 Vir doctrinæ Bœclerus, & plurimum dignitatis, & mini-  
 mum ostentationis, explicationem verò incomparabilem  
 habere arbitratur. *Vix, inquit, potest juvenili ætati persua-*  
*deri, quod dico: quippe animis ad colorum & adparatûs novita-*  
*sem pronis, quæcumque diversa sunt, deteriora videntur.*

Dissert. de  
 Eloq. Viri  
 Civilis ad  
 Taciti XIII.  
 Annal. c.  
 III. p. 122.

Adhæc, ut mira humanorum vultuum variatio est,  
 neque umquàm duos videris, quorum per omnia vel in-  
 genium simile aut natura eadem fuerit: ità si maximè  
 summam adhibueris industriam, eodem tamen planè  
 modo stylus haudquaquàm poterit formari. Quippe  
 animi cujusque imago & simulacrum scriptura est, mo-  
 resque profert oratio, tanquam exacta quædam mentis  
 tabula ac vivus character. Sæpè etiam auctores, à quo-  
 rum lectione recentes sumus, formam eandem aut ubi-

F 2

que



Vide Hein-  
sium, Præ-  
fat. ad O-  
rat,

Quæst. Tu-  
scul. Lib. 1.  
pag. m. 38.  
Tom. IV.  
Edit. Ca-  
mer. cum  
notis Petri  
Victorii.

que similem haud patiuntur: quibusdam strictum conci-  
sumque dicendi genus, refertum sententiis & compres-  
sione brevissimum, in Græcorum morem sectantibus: a-  
liis copiâ ambituque verborum captis, qui & torrentis  
instar lectorem auditoremve rapit, masculus ac robustus,  
in quo Tullius regnavit. Quo magis in tam ancipiti  
via elaborandum nobis fuerit annitendumque, ut firme-  
tur animus; quum fieri non raro soleat, ut rectè quis sen-  
tiat, sensus tamen eloqui politè haud possit: mandare  
verò quenquam literis cogitationes suas, Ciceronis ver-  
bo, qui eas nec disponere, nec illustrare possit, nec dele-  
ctatione aliqua allicere Lectorem, hominis sit intempe-  
ranter abutentis otio & literis, verbo: qui optimus  
dici queat, sed non satis eruditus.

*Thom. Erpen. de Peregr. Gallicana.*

*Finis Peregrinationis notitia Linguae, regionis, religionis,  
rerum gestarum, morum & Virorum clariorum.*



107A

nc



Q.K. 366, II.

AN

X 190

PEP

Eloqua  
In

Apud J

97

HSTETTERI

427

IO

II 0  
495

TE

IONIS

NÆ,

presences pl

l.

ofessionem  
caretur.

iopol. Tubing.

197. 9.

